

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Zaringo Badensis

Schöpflin, Johann Daniel

Carolsruhae, 1766


CCCCLXVII. Litteræ clementis VII. pont. max. quibus [...]

[urn:nbn:de:bsz:31-295134](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295134)

niendert zu, dann zu lichtvertigen Wesen vnd aller Vngehorsam dienet, so pitten wir mit sonnderm Vlifs euwr Fürstlich Gnad wöll als ein Liebhaber erbers Wesens mit allem Ernst in ir Oberkeit bestellen vnd verfügen, wo diese Leut betretten, das sy darumb angenommen vnd der Billichkeit nach mit inen gehandelt werd, dermassen wöllten wir ouch thun vnd sollich allezeit vmb Euwr Fürstlich Gnad verdienen. Datum vff den XXX. Tag January, Anno &c. XXIII.

E. F. G.

gutwillig
Burgermeister vnd Rath der Stadt
Freyburg im Pryfsgöw.



CCCCLXVII.

LITTERÆ CLEMENTIS VII. PONT. MAX. QUIBUS
ERNESTO MARCH. BAD. CAMPEGIUM
COMMENDAT.

A N N O M D X X I V.

Ex Archetypis Brevium Clementis Papæ VII. an. 1524. Tom. I. ep. 81.

Dilecto filio Nobili Viro . . . Marchioni Badensi CLEMENS PP. VII.
Dilecte fili salutem & Apostolicam benedictionem. Cum pro nostro officio, pro quo ea benivolentia, qua istam fortissimam nationem semper in minoribus profecuti sumus, & nunc paterne prosequimur,

dilectum filium nostrum Cardinalem Campegium hujus Sanctæ Sedis, & nostrum de latere Legatum non sine Cæsareæ Majestatis voluntate istuc mittendum decreverimus pro communibus totius Reipublicæ Christianæ commodis; Nobilitatem tuam hortamur in Domino, & paterne requirimus, ut pro tuo Principis Imperii officio, & solita erga Deum pietate, pro quo, ejusdem, & tuo honore ad Conventum Norimbergæ indictum, si profectus non es, proficisci, ac nostro Legato præsertim ea dignitate hujusmodi, & pro tam necessaria causa ad vos venienti non modo tutum iter, transitumque, & moram, sed benignam exceptionem, tam in Conventu ipso, quam ubique procurare, eique omni ope, & opera adesse velis; quod Nobilitati tuæ honorificum, & congruum, nobis vero supra quod dici possit, erit gratum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 17. Januarii 1524. Pontificatus nostri anno primo.

CCCCLXVIII.

LITTERÆ FERDINANDI ARCHIDUCIS AUSTRIÆ,
 QUIBUS ERNESTUM MARCH. BAD. DE CONVENTUS TUM
 HABITI EVENTU FACIT CERTIOREM, SIMULQUE
 BREVE PONT. MAX. DE MONASTERIO
 GOTTESAU MITTIT.

A N N O M D X X I V.

Ex Archivo Badensi.

Illustrissime Princeps Consanguinee charissime salutem & benevolentie nostre affectum. Mittimus ad dilectionem vestram apostolicum Breve quod post aduentum Reuerendissimi D. Legati nobis redditum est. Maluissemus id antea nos accepisse, & eandem cum propter sancte fidei negotium, tum propter alias Imperii necessitates tractandas adfuisse, tum certa nobis spes fuisset, quod hic Conuentus meliorem fructum protulisset, qui cum breui, ut apparet dissoluendus sit, prudentie vestre relinquimus, quid ei facto opus sit. Quanquam pro nostra parte non sine maximo patrimonii nostri dispendio studium & opera nostra neque sancte sedis dignitati, neque hujus nationis saluti defuit, ut neque imposterum defutura esset, modo ceteri paribus animis saltem orthodoxe fidei causam complecterentur que ob honorem Dei, cui omnia debemus pretereunda non est, si minus reipublice recte consultum esse uelint.